

antiquis. Et multi pauperes fuissent mortui, si cenobiticus ordo eis non subvenisset, quod secundum Augustinum omnes pauperes sunt hospicio recipiendi, ne boni excludantur. Et propter caritatem plures fuerunt venditores prediorum quam emptores. O tempora dolenda!

*fol. 114'.* Item omnibus sit notum presens scriptum legentibus, quod anno Domini M<sup>o</sup>. D<sup>o</sup>. quinto, ipsa octava sanctissime nativitatis Marie [Sept. 15.] discretus vir Dodo civis in Loghen tradidit suam in conventum nostrum filiam nomine Hyme cum centum florenis Renensibus aureis, et post obitum parentum cum aliis prolibus partem capiemus. Et hos quidem florenos predictos Renenses exposuimus ad redditus annuos quinque florenorum Renensium aureorum ex domistadio et ceteris prediis castri nominati Oldehusum prope monasterium Floridi Orti vulgariter Wittemerum situatis ac pertinentibus capitaneo discreto Ditmaro Reymer et annuatim solvendum secunda post exaltacionis sancte Crucis.

*fol. 119.* In anno M<sup>o</sup>. quingentesimo quinto, altera die translacionis sancti Augustini [Oct. 12.] venerabilis Eddo burgimagister Emedensis ex magna devocione dedit ad conventum nostrum Langhen, ut monialis fieret religiosa, filiam juvenulam legitimamque suam, Mëns nominatam, et non minore ex religione conventui pre-tacto assignavit decem gramina in Waltzetten Hamrika in Saxelant sita in perpetuum apud conventum mansura. Addidit ducentos florenos Renenses aureos ad filie sustentacionem, et deinde in dies habunde supererogat, et ut optimus amicus nobiscum agit.

*fol. 128.* Anno Domini M<sup>o</sup>. D<sup>o</sup>. XII<sup>o</sup>. pridie Kalendas Marcii obiit venerabilis dominus Johannes Boemel, prepositus in Langhen, qui utiliter quasi XXXIII annis pre-fuit monasterio tam in spiritualibus quam temporalibus. Cujus anima requiescat in perpetua pace.